



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

De Prophetia Malachiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE LIBRO MALACHIAE.

I. *Disputatur de Malachia.* II. *Utrum fuerit Angelus.* III. *Utrum fuerit Esdras.* IV. *Probatum Prophetiae Malachiae symbolis & antiquitas.*

Disputatur de Malachia.

Hier. Praef. in XII Proph. & Proem. in Mal.

Euseb. Chron. lib. 1. Th. Proem. in XII Proph. August. lib. 18. De civit. Dei, cap. 16.

Clem. Alex. Strom. 1. Hier. Proem. in Mal.

Cyrl. Praef. in Mal.

Mal. 1. 7, 10, 11.

Mal. 1. 7, 10, 11.

Utrum fuerit Angelus.

Clem. Alex. Strom. 1. & 3.

Epiph. & Dor. De vit. Proph.

Isid. Orig. 1. 7. cap. 8.

Malach. 1. 7.

I. **M**INORUM Prophetarum agmen claudit Malachias, Synagogae magnae cum Aggaeo & Zacharia à Rabbis quibusdam adscriptus. Scribit supposititius Epiphanius oriundum eum fuisse tribu Zabulonis, & natum in Sopha, post solutam Captivitatem; sive ut habet Pseudo-Dorotheus, Supha; vel ut alii legunt, Socha, loco tribus ejusdem, ubi & sepultum volunt, cum juvenis obiisset. Tempus quidem quo floruit, ipse non adnotavit: at si verum est, quod sciscit Hieronymus, quibus Prophetiarum temporis nota in titulo praefixa non est, eas hoc tempore fuisse editas, quod proxime praecedentes Prophetiae adscriptum praefertur, aequalis fuerit Malachias Aggaeo & Zachariae, & Darii Hystaspidae aeo floruerit. Ita sentit ex praescripto suo Hieronymus; ita Eusebius, Theodoretus, & Augustinus; ita Cabalitarum, & Seder Olam, & R. David Ganz. Sed his suppar potius quam aequalis censendus est, si juvenis obiit: nam dici non potest coetivum quidem illis fuisse, sed serius ad futura praeventianda fuisse à Deo instinctum. Recte id aliquando, quam non semper, distinxerunt Clemens Alexandrinus & Hieronymus; distinxit & Cyrillus. Itaque ut recentiorum eum credamus Prophetis reliquis undecim, postulat Libri ipsius locus, qui postremus est; postulat & ratio rerum, cum in Aggaei & Zachariae libris, tum & in illo Malachiae traditarum. Illi enim Judaeos ad Templum instaurandum impellunt, hic ut in Templo pie ac reverenter se gerant Sacerdotes adhortatur. Illa ergo vaticinia ante restitutionem Templi edita sunt; hoc post Templum reparatum. Audi Malachiam: *Offeritis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est. Deinde: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Tum: Vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis, Mensa Domini contaminata est: & quod supponitur contemtibile est, cum igne qui illud devorat. Quid quod & Esdra ac Nehemia recentiorum ipsum statuit Cyrillus; quod non patitur sine eorum opinio, qui juvenem ipsum fato functum putant, neque optimorum Chronologorum computationes. Mihi quidem sit verisimilium inter instauracionem Templi, quae sexto Darii Hystaspidae anno contigit, & Esdrae reditum, qui incidit in septimum Artaxerxis *μακροχρεστος*, Malachiam vaticinium suum edidisse, cum in Canonem sit receptus, quem Synagogae magnae iussu ab Esdra concinnatum fuisse Artaxerxis *μακροχρεστος* temporibus paulo post ostendemus.*


II. Tangam obiter & eam quaestionem, inter veteres Christianos controversam, fueritne Malachias Angelus extraordinaria legatione à Deo in terras missus ad emendanda vitia & mentes hominum ad studium veritatis excitandas, quod & de Aggaeo creditum diximus. Praecipuus sententiae hujus auctor & defensor fertur Origenes, eumque hoc nomine in Origenianis nostris non perfunctorie castigavimus; quippe ex perverso *θεοῦ πρέσβευος* animarum, & aequalis rerum omnium ratione pollentium naturae dogmate, incessit illi prava haec suspicio, Aggaeum, Malachiam, Johannem Baptistam quoque, & Melchisedecum, & Prophetas denique omnes, ac viros sanctitate florentes, fuisse Angelos. Quanquam & ante Origenem plerique in eodem errore versati sunt. Nec de Malachia tamen idem sensisse puto Clementem Alexandrinum, quamvis fere eum appelleret, *ὄν ἐν τῷ δώδω αἰγῶν*, cum & ipsi suum aliquando Malachiae nomen tribuat. Angelus quoque à Septuaginta Senibus appellatur in ipso Prophetiae indice, atque item aliis. Quicumque autem hoc ipsum titulo decorantur, non in eodem versatos esse errore credendum est ac Origenem. Tradunt *Ἰσίδωρος* Epiphanius & Dorotheus, sic ipsum vulgo fuisse vocatum, propter morum candorem, benignitatem, pietatem, ac formae etiam praestantiam, & commendationem oris. Ineptum vero est quod addit Epiphanius, quaecumque praedicebat, eodem die Angelum vulgo aspectabilem iterasse. Isidorus Angeli nomine affectum eum fuisse vult, quod quaecumque loqueretur, haud secus ac Dei ipsius mandata acciperentur. Perfecto Sacerdotes, & Prophetae, & quicumque Dei iussa hominibus significant, merito appellantur Angeli, & ita nonnunquam in Libris sacris nuncupantur: velut apud hunc ipsum Malachiam: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore*

ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Et alibi de Johanne Baptista: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quod & à Maimonide probatum est. At propiorem causam in Malachia nomine reperio; nam, מלאכי, idem sonat ac *Angelus meus*: quam rationem non magis nobis persuadere debere ait Hieronymus, re ipsa Angelum fuisse Malachiam, ac nomina Josuae, & Joelis, & Jonæ; quorum illud *Servatorem* significat, id *Deum meum*, hoc *Columbam*; fidem facere possunt hunc fuisse columbam, istum Deum, illum Servatorem.

III. Nihilo magis audiendus est Jonathan Chaldaeus Paraphrastes, verustioresque Ebraeorum Magistri, cum Malachiam eundem atque Esdram fuisse docent. Cujus opinionis argumenta hæc affert Hieronymus; quod ætas utriusque conveniat; quod *omnia que in libro illius continentur, etiam hic Propheta commemorat*; quod denique cum ait Malachias, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, se Esdram esse non obscure declaraverit; Esdram quidem, Sacerdotem & Legis instauratorem dicens, se vero Angelum Domini appellans, quod sonat vocabulum, Malachias. Sed hæc diffilare facile est: nam quod tempora congruant, efficitur coævus esse, non unum & eundem virum. Falsum est porro eadem libris utriusque contineri. Quibus autem Malachia verbis ostendi putant eundem ipsum esse ac Esdram, ea ad Levi primum, deinde ad universos Sacerdotes pertinere contextus orationis ostendit. Et tamen futilibus his argumentis labefactatus Hieronymi animus, opinionem istam si calculo aperte non comprobavit suo, at certe nec confutavit, pro eo ac debuit. Adde nec Prophetam in sacris Codicibus appellari Esdram, sed Sacerdotem & Scribam; cum decuisset tamen nobiliore eum titulo insigniri. Itaque sanior Christianorum Patrum ac Interpretum pars commentum hoc repudiavit.

IV. Ad propugnandam Libri hujus *ἱστορία* & antiquitatem vix ullis ex Veteri Testamento juvamus subsidiis, propter exiguitatem operis, & auctoris novitatem. Unicum se dat illud testimonium, quod ex Ecclesiastico Sirachidæ supra attulimus, quo generatim atque univèrse Duodecim Prophetarum, inter quos postremus hic est, fit mentio. Sed multorum instar unum hoc esse potest. At in Novi Instrumenti scriptoribus Malachia auctoritas crebrius usurpatur. Matthæus quippe, Marcus, & Lucas, in testimonium citant hæc ipsius verba: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Scripsit Malachias: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet cor patrum ad filios*: id significabant Christi Discipuli, cum dicerent apud Matthæum & Marcum: *Quid ergo Scriba dicunt, quod Eliam primum oportet venire?* significabat & Angelus, cum de Johanne Baptista Zachariae patri hæc prænnuntiaret apud Lucam: *Ipsè præcedet in virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios.* Malachiam quoque spectabat Paulus cum diceret: *Scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: hæc quippe ἰστορία Malachia sunt.

Nihil hic me movent Rabbini quidam, qui quod in Synagogam magnam alle-
ctum fuisse Malachiam nonnullis fuerit persuasum, causam inde habuerunt, cur ei
Prophetæ dignitatem detraherent: hos quippe refelli jam supra, cum de Aggæi Pro-
phetia disputarem.



DE LIBRIS MACHABÆORUM.

AC PRIMUM DE PRIORE.

I. Disputatur de priore Machabaico. II. Probatum prioris Machabaici *ἱστορίας* & antiquitas.

I. **T**ANTAM nominis claritatem præclaris rebus gestis adepti sunt Assamœnæi, ut eorum memoriam propagandam Judæi merito censuerint; quo ad religionem conservandam, & tuendam libertatem, majorum exemplis posterius incitarentur. Itaque sive privatorum aliquorum hominum studio & industria, sive, quod potius crediderim, auctoritate publica factum est, ut in literas Machabaica historia referretur, suppeditatis ad id, ut satis Libri ipsius primi finis indicat, publicis Commentariis, quos diligenter ab ea gente conscribi solitos fuisse supra notavimus. Atque id quidem non multo post res gestas factum fuisse probabile est: quippe stili ipsius cha-